



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

Ivi [i.e. i]. Discursus est assensus mediatus, quo assentimur, vel
dissentimur uni propter aliud.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

lutè in potentia Petri, adeoquè illi simpliciter est inevitabile, ut non peccaverit heri) & inter necessitatem ortam ex hypothefi de re non simpliciter præterita, qualis est scientia Dei de peccato Petri futuro; illa enim dicit ordinem ad aliquid futurum, quod absolutè nūc est in potestate Petri, & quod, si ille velit, non effet futurum, adeoquè non esse, aut fuisse illa fuppositio.

DISSERTATIO QVINTA

De Discursu:

I. **D**iscursus in genere est assensus, vel dissensus mediatus, quo assentimur, vel dissentimur uni propter aliud; alius est enim assensus vel dissensus, quo assentimur vel dissentimur objecto, non propter aliud ab ipso re vel ratione ratiocinata, distinctum, sed propter ipsam terminorum evidentiam, seu quia res in se ipsa videtur vera. Requiritur igitur vel prærequiruntur ad omnem discursum plura iudicia distincta illuminantia intellectum ad inferendam conclusionem, quæquè notiora sint ipsa conclusione (licet enim quandoquè conclusio sit nota, ignota tamen est, quatenus ex talibus deducta

ducta præmissis) & quidē ad formalem discursum requiruntur vel prærequiruntur talium judiciorum semper virtualiter duo præter conclusionem, explicitè sufficit unum; debet enim medium semel connecti cum singulis extremis, quod fieri non potest, nisi per duas formaliter vel virtualiter enuntiationes; dum autem in præmissis unum extremorum conjungitur cum medio, & alterum cum eodem in conclusione v. g. *omnis homo est animal, ergo Petrus homo est animal*: cōclusio virtualiter è duplex, & inferri non potest ex dicto antecedente, cum illatio vel conclusio supponat conjunctionem utriusq; extremi cum medio factam esse in præmissis: quibus præmissis ambabus, sive quo antecedente adæquato, adæquatè vero, cōclusio semper erit vera, eo inadæquatè falso, seu unâ præmissarum falsâ, erit falsa v. g. in eo: *Petrus est homo ergo est sanctus*; consequens est falsum; quia antecedens adæquatum, quod erat hoc: *omnis homo est sanctus, Petrus est homo*; non erat adæquatè verum.

II. Syllogismi essentia non consistit in solis præmissis; quia hæ solæ cum sint duæ enuntiationes, non distinguuntur essentialiter à secunda